



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 43. De titulo Crucis, & Mysteriis, Passionis quæ in eo latent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

virile, vt sicut milites Gedeonis, hydriam corporis mei, pœnitentia confringam, & lux virtutū, ita in me splendeat, vt hostes mei omnes fugiant, & victoriam de omnibus referant. O DEVS vltionum, doce me vltionem de me ipso sumere, eò quod te offenderim: nam vindictam de me ipso sumpsero, triumphum etiam de meis hostibus agam, per sanguinem filij tui, cui sit honor & gloria in æternum. Amen.

MEDITATIO XLIII.

DE TITULO CRUCI
Christi affixo, & Mysterijs
Passionis, quæ in eo
latent.

PUNCTVM I.

a Ioan. 19.
19.
Matt. 27. 37.
Marc. 15. 26.
Luce. 23. 38.



CRIPSIT autem a titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum, IESVS Nazarenus Rex Iudaorum, & erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè.

CIRCA hunc titulum consideranda sunt quatuor, quæ in illo continentur, verba, in quibus enim, vt S. Marcus ait, continebatur causa crucis scilicet Christi, cur scilicet cruci fuisset affi-

xus; nec solum quam habuit Pilatus, sed præcipuè quam habuit æternus Pater, ad tale decretum ferendum, ac permittendum.

I E S V S.

I.

PRIMUM tituli verbum est, I E S V S, quod Saluatorem significat, venit enim ad saluandū & liberandum mundum à peccatis eius, & pennis, quas propterea fuit commeritus. Et hæc prima fuit causa, cur fuerit crucifixus, vt morte nimirum sua & pretiosi sanguinis effusione, redemptionis nostræ opus perficeret. Nomen hoc fuit illi, dum circumcideretur, impositū; vt exigua illa sanguinis portione, quem tunc effudit, officij Saluatoris possessionem acciperet: sed nunc ponitur illi super crucem, in titulum læ passionis, qua finem imponit, ac perficit, quicquid pertinet ad idem officium, totius sui sanguinis effusione. *b Neque enim* *b Heb. 9. 22.*
(vt ait Apostolus) sine sanguinis effusione, fit remissio peccatorum, aut saluatio. O dulcissime I E S V, quàm tibi stat caro hoc munus Saluatoris; siquidem, vt nos salues proprium sanguinè effundis, adeo liberaliter; non eius partem, sed totū; nec paulatim, sed copiosè effundendo per grandia illa manuum pedumq; vulnera! O nomen I E S V suauissimum! quàm tibi nunc aprè conuenit, esse *c sicut oleum, effusum:* *c Cant. 1. 3.*
 siquidem ex ipso effuso sanguine, oleum conficis, quo vulnera nostra curentur, & culpæ morbi deleantur! O liberalissime I E S V, esto mihi I E S V SI, & Saluatoris erga me of-

gg 5

ficium

ficiam exerce, esto mihi oleum, quo cures; medicina, qua saner; & unguentum fragrantissimum, quo conforter, tuæ mihi redemptionis fructibus applicatis.

NAZARENVS.

II.

HOC verbum significat floridum; quo notatur secunda causa, propter quam IESVS conscendit arborem crucis; vt nimirum excellentissimos virtutum flores produceret; quos in ea, ad nostrum exemplum & instructionem exercuit. Flores enim fuerunt fragrantissimi, extrema illa paupertas, exactissima obedientia, perfectissima mansuetudo, profundissima humilitas, inuicta patientia, & charitas immutata. O IESV Nazarene, quam es in ista cruce floridus / tota quidem vita, valde fuisti floridus, sed multò tamen magis in eius fine; licetque tibi dicere sponsæ tuæ Ecclesiæ dicitur *Arbuis noster floridus*. nam tuus iste crucis lectulus, plenus est floribus fragrantissimis, quos in ea profers. Admitte, Domine, me in isto tuo estrato quamuis coangustato, nec enim periculum est vt alter decidat, siquidem tu dixisti: *ubi ego sum, illic & minister meus erit*. Utinam Domine tecum essem in cruce, suauissimum percipiens odorem florum, qui inde erumpunt; & me ipsum excitans ad similes producendos.

NAZARENVS quoque significat Sanctum, vt intelligatur, qui in hac cruce pendet, IESVM, esse *Sanctum sanctorum*; eumque morti

d. *Can. 1. 16.*e. *Isai. 28. 20*f. *Ioan. 12. 26.*g. *Dan. 9. 24*

non ob culpas proprias, sed ob alienas, iuxta
 illud, *h iustificabit ipse iustum seruus meus mul-* *h Isai. 53. 11.*
tos, & iniquitates eorum ipse portabit, pœnal-
 que exsoluet, quas ipsi erant promeriti. Et hi
 sunt fructus, ex floribus illis proueniētes, quos
 bonus noster IESVS, in sua morte produxit.
 nam *i gramem frumēti cadens in terram, si mo-* *i Ioan. 12.*
riatur, multum fructum affert. O Arbor florida
 & fructuosa; utinam *k sub vmbra tua sedere li-* *k Cant. 2. 3.*
ceret fructusq; tuos dulces gutturi meo vsque
 ad satietatem comedere! O dulcis IESV, qui
 dixisti *l ascendam in palmam & apprehendam* *l Cant. 7. 8.*
fructus eius! Hanc mihi gratiam concede, vt
 crucis palmam conscendam tecum, fruarque
 fructibus per eam à te productis, vt tuas virtu-
 tes imitans, palmam obtineam gloriæ, quam
 illis licet promereri. Amen.

R E X.

TERTIUM verbum tituli, est REX, III.
 quo significatur causa, cur Pilatus Christum,
 ad crucem damnauerit; quia videlicet Iu-
 dai eum accusassent quod esset ipforum Rex,
 sicut re ipsa erat, non temporalis, sed cœlestis
 & æternus: cuius regnum & incipit, & stabi-
 litur ab ipsa cruce, iuxta illud quod canit Ec-
 clesia, *m Regnauit à ligno Deus.* Nam vt re- *m ex Psal.*
 gnium peccati incepit ab vna arbore, propter *95. 10.*
 primi Adami inobedientiam; ita Dei regnum
 incepit ab altera, propter obedientiam Chri-
 sti in ea morientis. Ex quo discam, si regna-
 re cupiam cum Christo, incipiendum mihi
 esse,

R Rom. 6. 6. esse, ab eodem crucis regno, n affigendo illi: *terem meum hominē, vt destruat^r corpus peccati.* regna enim terrena obtinentur & possidentur, dum quis viuit; sed Christi regno non fruatur, nisi qui moriatur. O Rex æterne, cuius corona & thronus sunt æterna; & ideo corona spinea, caput tuum penetrat; vt in isto tuo throno duris clavis confixus, effundens per tua vulnera sanguinem, eo regnum illud expugnes, quod seruis tuis promissisti: siquidem adeo es potens, vt o *sedens in folio isto iudicij, dissipet omne malum simplici intuitu tuo, dissipet in me quidquid te offendit, vt tecum ingrediar, & gaudio fruatur regni tui.* Amen.

IV D A E O R V M.

IV. VLTIMUM verbum tituli fuit, Rex IVD A E O R V M; qui quamuis eum vt Regem recipere noluerint. (nam propterea petierunt, vt crucifigeretur) non propterea excidit ipse illorum regno, qui ab æterno Patre p *constitutus est Rex, vt regnaret super Sion montem sanctum eius, & super omnes eos, qui significationem haberent eius nominis, hoc est, qui vera confessione confiterentur, quod Deus reuelauit, gloriam illi propterea tribuentes.* Quæ etiam est causa, cur titulus scriberetur litteris Hebraicis, Græcis, & Latinis; vt vniverſarum mundi nationes tribus hisce linguis indicatæ, Regem hunc agnoscerent & adorarent; & quæ *nis lingua (vt ait Apostolus) confiteretur, quia Dominus noster IESVS Christus, in gloria est*

p Psal. 2. 6.

q Phil. 2. 11.

Dei Patris. O fili Dei viui, ego confiteor, optimè adaptari tibi gloriosum istum titulum: tu enim solus, & non alius, IESVS ES NAZARENVS REX IVDÆORVM. Vtinam orbis vniuersus titulum istum, & legeret, & admitteret; & omnes te confiterentur Regem suum & Saluatorem! O titulum altissimum, in quo còpendio continentur omnes tituli, quos ad salutem meam negotiadam habere possum. nam hoc titulo orationes meæ exaudientur, vora mea explebuntur, & meis necessitatibus, eodem titulo subuenietur. O Pater æterne, agnosce hunc titulum, super crucem filij tui scriptum; & siquidem titulus est eius regni, quod ipse mihi comparauit; admitte me ad illud, vt regnem tecum per secula. Amen.

PUNCTVM II.

HVNC a titulum multi Iudæorum legunt. dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: noli scribere Rex Iudæorum; sed: quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. a Ioan. 19. 20.

CIRCA hoc punctum considerare licet tria genera hominũ, qui titulum crucis Christi in monte Caluario legerunt.

PRIMI fuerunt Pontifices & Pharisei, & similes alij homines, malè affecti & hostes Christi, qui titulum falsum esse iudicantes illum voluerunt emendare. Et hi denotant Hæreticos, & reliquos infideles, qui audiunt & legunt libros sacros, & aduertunt titulos &

opera

& opera diuinitatis & humanitatis Christi
sed multa ex illis negant, & depreuato suo iu-
dicio, & leui apprehensione, illa volunt e-
mendare.

II.

ALII eundem titulum curiositate (vix
eiusmodi occasionib⁹ euenire solet) ducti le-
gerunt; sed nec curarunt, nec intellexerunt,
nec latens in eo mysterium sunt assecuti, tales
sunt multi, qui audientes, & legentes gratia
Christi Domini nostri, credunt in confusio, &
in cumulo, vt dicitur, non tamen profunde la-
tentia in eis mysteria curant intelligere: ideo
que nullum fructum aut commodum ex eis
hauriunt.

III.

FVERVNT vero alij in monte illo Cal-
uario, Beatissima scilicet Virgo, & Sanctus E-
uangelista Ioannes, & similes alij, qui & titu-
lum deuote legerunt, mysteria latentia pen-
trantes, magno cordis affectu, ea sunt venerati:
& tales sunt, qui legentes sacros libros, fi-
dei que nostræ veritates agnoscentes, eas me-
ditantur, deuote que ruminant & spiritu, vt
commodum inde hauriant; quos merito imi-
tari contendam. Beatissimæ Virgini & Sancto
Ioâni supplicans, lumen illud & spiritum mihi
obrineant, quo ipsi hunc titulum legerunt,
profunda eius penetrarunt; vt eodē & legam
ego, penetrem veritates, quas me fides docet
de Christo Salvatore meo: siquidem *b. hanc op-*
mea vita eterna, vt cognoscam eum, amen
ei que fideliter perpetuum seruiam.

b. Ioan. 17. 3.

PUNCTVM / III.

RESPONDIT *illis Pilatus*: quod scripsi, scripsi. Hoc verbum respondit ille præles ex diuina inspiratione; vt intelligeretur, verum esse, quod eo titulo continebatur: quodq; nulla humana ratione, aut persuasione esset mutandum. ita enim fiet, vt quod semel in hoc titulo, & scriptura diuina scriptum est, æternum scriptum sit; nec mutetur aut deficiat, quantumuis fidei hostes, in contrarium nitantur: Ex quo etiam discam constantiam in bono tenere, quod proposuerim ac decreuerim; vt Christum sequar, quod si Dæmon, aut mundus, aut caro retrahere me ab eo tentationibus suis contendunt; respondebo, *quod scripsi, scripsi*: quod semel decreui; nec vel in puncto retrocedam; aut quod semel scripsi, delebo; aut quod semel statui, mutabo. O Saluator mundi. qui adeo in tuis decretis constantiam amas, & firmitatem, vt nec minimum huius tituli characterem mutari permiseris, supplex rogo, adeo me constantem in diuino tuo facias obsequio, vt nulla hostium persuasio, ab eo me retrahat.

